



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus III. De Clericis Conjugatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

scandalum, quod secum trahit publicum peccatum, Gonzalez in *c. cit. n. 2.* quò sensu Abbatissa clericos suspendere dicitur, *c. Dilecta 12. de Majorit. & Obed.* Dein *can. Hi qui sunt cit.* non de suspensione sermo est: sed de interdicto, quò clerico fornicario Ecclesiæ ingressus inhibetur. Demum *can. Eòdem can. Præ-*

*ter hoc & c. Vestra cit.* clerici concubinari in Divinis, præsertim in celebratione Missæ, vitari jubentur, non; quòd malitiâ & indignè celebrantis peccatò sacrificium inquinetur, *c. cit. & Trident. Sess. 22. cap. 1. de Sacrif. Missæ* sed, ut ita à peccatis alii quidem absterreantur, ipse verò ad poenitentiam perducat.



## TITULUS III.

### De Clericis Conjugatis.

**C**um voluptatibus ac desideriis carnalibus simul & Divinis obsequiis vacare Clerici non possint, eos Ecclesia non ab inhonestis mulierum commerciis duntaxat: sed à nuptiis quoque, & aliis licito mulierum consortio censuit abstrahendos,

#### ARTICULUS I.

#### De Clericis Minoribus Matrimonia ineuntibus.

#### SUMMARIUM.

1. Clerici minores licitè ineunt matrimonium.
2. Eò tamen initò beneficia privantur.
3. Discrimen inter privationem, quæ ipso jure & per sententiam fit.
4. Clerici ductà uxore ipso jure amittunt beneficia,
5. Pensiones Ecclesiasticas,

6. Et jura ad beneficia obtinenda:
7. Nisi matrimonia invalidè,
8. Aut sponsalia solum de jure inierint.
9. Ad beneficium cum conjugato solus Papa dispensat.
10. Clerici conjugati etiam amittunt privilegia clericatus:
11. Si tamen unam & virginem duxerint, retinent Canonis,
12. Et Fori etiam privilegium in Criminalibus causis.
13. His tamen non gaudent eorum filii & uxores:
14. Quibus mortuis ipsi recuperant privilegia amissa.

**N**on eòdem tamen rigore, neque indiscriminatim clericis omnibus connubia ab Ecclesiâ sunt interdicta; cum in minoribus Ordinibus constitutis ea quidè non denegentur, *can. Si qui 2. dist. 32. & can. Quia tua 8. V. Si qui verò 12. q. 1.* ea tamen contrahentes ad beneficia Ecclesiastica obtinenda redditi sunt inhabiles, & antè obtentis pri-

etis privati, c. 1. c. *Quod à re 3. c. Diversis 5. c.*

Neque in contrarium facit; quod *Si qui cit.* clericis extra sacros Ordines constitutis, uxores ducentibus, stipendia assignanda afferantur; quia ea Jura postea correctâ, vel exaudienda sunt de stipendio temporalis, quod ex miseratione eis ad sublevandam inopiam, vel ratione laboris sive ministerii Ecclesie exhibiti cantoribus, ædituo & similibus assignatur: non de redditibus provenientius ex beneficio in titulum collato, Panormit. in c. 1. n. 2. Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 34. n. 115.* & Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 42. n. 19.* Quod hodie quoque locum habet, & alienum non est à Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 17. V. Quod si de Res.* quatuor Ordinum ministeriis exercendis, si clerici calibes præsto non sint, iis suffici permittente vitæ probatæ conjugatos: dummodo non bigami, & ad ea munia obeunda idonei sint, tonsuramque & habitum clericalem, licet non ubique, saltem in Ecclesia gestent, Zypæus *Analyf. Jur. Pontif. hac Rubr. n. 1.* Imò ex Consuetudine ad hæc ministeria in multis, Germaniæ præsertim nostræ, provinciis passim laici adhibentur. Ex dictis

3. Dubium oritur primò, an clerici minores, matrimonio validè contractò, beneficia Ecclesiastica amittant ipsò Jure, vel iis per sententiam sint privandi. Quod est magni momenti; cum plurimum intersit, utrò modò iis excidant; quia beneficium ipsò Jure amissum vacat à die, quò v.g. ducta est uxor, vel posita est alia causa, aut commissum crimen ejusmodi privationem inducens: & licet, quando privatio poenalis est, sententia criminis declaratoria necessaria sit, ista tamen retrahitur ad diem, quò crimen ejusmodi privationem inducens est perpetra-

tum. Unde beneficiò ita privatus imprimis omnes fructus, à tali die ex ipso provenientes ac perceptos, restituere tenetur. Dein ipsius beneficii permutatio aut etiam resignatio in favorem facta nulla est. Demum ipsum beneficium tanquam vacans impetrari ab alio, & huic saltem quoad titulum conferri validè potest, Cochier in *Regul. Cancell. 8. gloss. 7. n. 23.* & *cit.* Sanchez n. 2. Aliter res se habet, quando quis beneficiò privatur per sententiam judicis condemnatoriam; cum ista non retrahatur ad diem criminis commissi; & propterea restituendi non sint fructus ante ejusmodi sententiam percepti: neque ante istam latam beneficium, utpote nondum vacans, ab alio valeat impetrari. Contrà verò ipsius resignatio, etiam in alterius favorem à clerico facta, Jure subsistat, Sanchez *cit. n. 2.* & Laiman *Lib. 4. tract. 2. cap. 17. n. 3.* Hòc præmissò

Non desunt DD. qui cum Alexand. Carerio *Lib. 3. de sponsal. cap. 3.* in casu proposito ad beneficii privationem sententiam judicis condemnatoriam requirant, propter textum c. *Quod à re 3. c. Diversis cit.* quorum illò clerici minores, qui uxores accipiunt, beneficiis *Spoliari*: istò verò iisdem *Privari* jubentur, verbis sententiam condemnatoriam primum ferendam denotantibus.

4. Sed meliori jure ab ejusmodi clericis, matrimonium validum ineuntibus, beneficia Ecclesiastica antè obtemta & pacificè possessa ipsò Jure & factò amitti, in c. 1. cum Glossa *V. Relinquenda* Joan. Andr. n. 6. Panormit. n. 4. & Interpp. ac DD. aliis plerisque docent Sylvester *V. Clericus 2. n. 2.* Navarrus *Manual. cap. 15. n. 120.* Gonzalez in *Reg. 8. gloss. 5. n. 43.* Garcias p. 111. de *Benef. cap. 8. n. 1. cit.* Lessius n. 112. Sanchez n. 3. & Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 57. n. 202.*

D 3

Secundùm

secundum quos proinde DD. ejusmodi clericus post contractum, matrimonium, quæ obtinuit, beneficia Ecclesiastica dimittere, ex iisque ab illius initi die provenientes fructus restituere tenetur, nullâ judicis sententiâ expectatâ, ut colligitur ex c. 1. cit. ubi ab Alexandro III. Episcopi clericos, infra subdiaconatum constitutos, si uxores acceperint, compellere jubentur ad beneficia *relinquenda*: quò verbò, ut Glossa notat, indicatur, eos beneficiis privatos jam esse. Ratio est partim; quia status matrimonii in Ecclesia Occidentali seu Latina de Jure incompossibilis est cum beneficio Ecclesiastico, c. *Quod à te & c. Diversis cit.* ut adeò clericus, illum uxore ductâ amplectens, beneficio tacitè, seu ipsò factò, renuntiare præsumatur, arg. can. *Cum renuntiat* 32. q. 1. partim verò; quia in beneficii collatione saltem ex Ecclesiæ consuetudine includitur tacita conditio, *Si clericus permanferit in celibatu*: quâ proinde per assumptionem statûs matrimonialis deficiente, beneficium amitti est necesse, cit. Sanchez n. 4. & 6. rectè observans, ab hujusmodi clerico beneficium non recuperari: quantumvis uxor ante matrimonii consummationem moriatur, vel eâ Religionem professâ illud dissolvatur; quòd, matrimonio per verba de præsentibus validè initò, status cum beneficio incompossibilis jam sit assumptus: & jus beneficii semel extinctum sine nova collatione non reviviscat, can. *Quam periculosum* 7. q. 1. & *Clement. Gratia* 4. junctâ Glossâ *V. Resignaveris de Rescript.* ubi Zabarell. q. 17. n. 10.

5. Non beneficia duntaxat, sed pensiones quoque Ecclesiasticas ab ejusmodi clerico conjugium ineunte amitti & extinguui, aliis DD. relatis tradunt *Gigas de Pensionibus* q. 54. id Curia Romanæ usu receptum, asserens cit. *Garcias cap. 5. n. 108.* Sanchez *diff. 44. n. 5.* & *Barbosa n.*

206. quòd hujusmodi pensio succedat locò beneficii, illiusque naturam imitetur. Multò magis, quàm Ecclesiasticæ pensiones, ita expirant gratiæ Expectativæ, Accessus, Ingressus, Regressus, ceteraque jura, quæ ante illud initum clericis ad beneficia vacatura, aut jam vacantia ex collatione, nominatione, præsentatione competeabant; quia beneficia primò obtinenda, ad eaque competentia jura facilius, quàm jam obtenta & possessa amittuntur, cit. *Garcias cap. 8. n. 2.* Sanchez *diff. 42. n. 7.* & *Barbosa n. 205.*

Neque hanc propositâ dubitationis resolutionem difficilem reddunt c. *Quod à te & c. Diversis cit.* textus; quia exaudiendi sunt de spoliatione & privatione, non ipsius Juris sive tituli, sed solius possessionis beneficiorum; quæ, ex dispositione Juris jam amissa, de facto tantum & injustè retinentur, arg. c. *Literas* 9. de *Concess. Prebend.* Glossa in cit. c. 1. *V. Relinquenda*, Panormit. in c. cit. n. 4. & *Pirrhing ad hanc Rubric. n. 12.*

Neque obstat; quòd concubinari fructus, & alii clerici beneficia &c. ob alia crimina ipsò Jure amissa restituere vel dimittere ante sententiam, saltem declaratoriâ, non teneantur per ea, quæ arg. c. *Cum secundum* 19. de *Hæret. in 6.* dicta sunt *Tit. 2. n. 10.* quia id locum duntaxat habet in privatione penali: cujusmodi non est, quâ beneficium amittitur per matrimonium; cum enim hoc ineundò clericus minor non delinquat, sententiæ judicis condemnatoriæ aut criminis declaratoriæ adversus eum locus non est: nisi beneficium ipsò Jure amissum injustè retinere præsumat, Azor p. 1. *Instit. lib. 5. cap. 8. q. 3.*

7. Dubium de iisdem clericis minoribus secundò est, an beneficia ipsò Jure amittantur per matrimonium invalidum. Quod affirmant multi, in diversas Opiniones divisi, atque à Garcia p. 11. de *Benef. cap.*

ref. cap. 8. n. 4. & Gonzalez in Reg. 8. gloss. 15. n. 44. relati, eaque persuasi ratione; quòd, statum cum beneficio incompossibilem assumendò, ei tacitè renuntiassè videantur, non obstante conjugii nullitate; cum enim Episcopus, propria autoritate ab uno Episcopatu ad alium transiens, priori excidat, licet non potiatur posteriori, c. Quanto 3. de Translat. Episc. pari modo clericus minor conjugium iniens beneficiò cum eo incompossibili excidet, quantumvis illud Jure non subsistat, & ductà conjugè non potiatur.

Sed meliùs, ab ejusmodi clericis beneficia ipso Jure amitti, cum Joan. de Lignano in c. 1. de Sponsal. in 6. negant cit. Lessius n. 113. Sanchez disp. 43. n. 3. & Palao Tract. 13. disp. 6. p. 3. §. 8. n. 9. sive ob defectum consensùs, vel solemnitatis requisitè à Trident. Sess. 24. cap. 1. V. Qui aliter de Reformat. Matrim. sive ob consanguinitatis aut aliud impedimentum dirimens conjugium irritum sit.

8. Multò minùs ejusmodi clerici beneficia ipso Jure amittunt, initis sponsalibus de futuro, ut cum cit. aliisque DD. tradit & Rotæ decisione firmat cit. Garcias n. 19. Ratio utriusque est; quòd sacri canones, beneficiorum privationem inducentes, loquantur de matrimonio, eoque valido; nam c. 1. cit. clerici ob contractum matrimoniù, sicut ad relinquenda beneficia, sic ad uxores retinendas compelli jubentur: quòd illò invalidè initò fieri nequit. Sic etiam c. Quod à te, &c. Diversis cit. Ratio, cur beneficia relinquenda sint, ea redditur; quòd uxori & carnis voluptatibus operam dare, & Divinis obsequiis vacare simul non possint. Quæ ratio cessat, in matrimonio invalido, cum hòc initò uxori & carnis voluptatibus non sit addictus. Confirmatur hæc ratio; quia beneficii vacatio non in-

ducitur in pœnam delicti, cum; quia matrimonium invalidè iniri sine delicto potest; tum verò; quia pœna privans jure jam quæsitò ante sententiam saltem declaratoriam non debetur, arg. c. Cum secundum cit. neque ob tacitam renuntiationem, aut statùs incompossibilis assumptionem; quia hujusmodi status verè assumptus non est, neque beneficiò efficaciter renuntiatum; cum non potiantur conjugio, propter quòd solùm beneficiò renuntiassè præsumuntur. Unde in hujusmodi clericis matrimonium contrahentibus locum non habet ratio allata: sed potius Regula, Non prestat impedimentum, quòd de Jure non sortitur effectum, quæ est 52. in 6. cum, quòd nullum est, nullum producat effectum, arg. c. Illud 8. de Jure Patronat. §. 1. Si se non obtulit 4. §. 6. ff. de Re judicata.

Dubium tertio est, quis cum clerico minore conjugato ad retinendum vel obtinendum beneficium valeat dispensare. Quidam inter simplex & curatum faciunt discrimen. Alii & meliùs cum ipsis, licet unicà eaque Virgine ductà deferant habitum ac Tonfuram clericalem & Ecclesiæ servire velint, ad quòdcunque beneficium dispensandi potestatem soli Papæ competere, censent: suamque hanc Opiniónem desumunt ex c. Diversis 5. ubi relato Innocentii III. Rescriptò ejusmodi clericus conjugatus beneficiò, ipsi ab Episcopo collatò, spoliandus asseritur per superiorem: quòd fieri nequaquam deberet, si cum ipso ad beneficium dispensare Episcopus valeret; quia hoc scienter conferendò cum ipso tacitè, & ipsò factò dispensassè præsumeretur, arg. l. Quidam 57. ff. de Re judicata. Ratio est; quòd clerici conjugati à sacris Canonibus pro laicis reputentur, exceptis, ut mox statuetur, Fori & Canonis privilegiis: laici autem beneficiorum Ecclesiasticorum

ficorum incapaces sint Jure communi, *c. Cum ad eò 17. de Rescriptis*: cujus relaxatio Episcopo regulariter non competit, *can. Inferior 4. dist. 21. & c. Cum inferior 16. de Majori. & Obed. Panormit. in c. Joannes 7. n. 7. Selvap. 1. de Benefic. q. 7. n. 17. Flamin. Lib. 4. de Resignat. q. 2. n. 28. & Sanchez cit. disp. 4. num. 18.*

Neque in contrarium facit; quòd *c. Joannes cit.* cum clerico conjugato ad beneficium dispensari posse, apertè supponatur; quia, ut emittam; quòd *c. cit.* beneficii nomine stipendium, quod ab Ecclesia aliquando laici accipiunt, venire existimet Hofstiensis, veri beneficii capax esse clericus conjugatus supponitur, Apostolicè, non Episcopali dispensatione, ut *ibi cum Glossa su.* notant Barbofa n. 3. & Gonzalez n. 1.

Neque etiam; quòd ad beneficium simplex dispensare Episcopus valeat cum clerico homicida & irregulari, *c. fin. de Cleric. pugn. in duell. & cum deposito ab officio & beneficio, can. Salomitanè 24. dist. 63.* qui sunt casus graviores; quia, præterquam quòd non eadem ratio sit clerici conjugati, quæ est prædictorum, in materia dispensationis locus non est argumentò ab uno casu expressè permissò ad alium non expressum, etiam minorem, Panormit. *in c. Joannes cit. n. 8. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 20.*

**10.** Dubium quartè de clericis conjugatis est, an gaudeant privilegiis Clericorum. Non quidem exemptionis à vestigalibus, tributis, & similibus oneribus, uti & privilegiò Competentiæ concessò *c. Odoardus 3. de Solut.* his enim eos non gaudere, explorati Juris est, *c. Unico 1. fin. in 6.* Sed Canonis & Fori, quæ sola

**11.** *fin. in 6.* Sed Canonis & Fori, quæ sola ipsis communicantur, si contraxerint cum unica, eaque virgine, & deferant habitum ac tonsuram clericalem, atque insuper

(quæ conditio pro Fori privilegio specialiter exigitur à S. Synodo Trident. *sess. 23. cap. 6. de Reformat.*) alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem serviant, aut in studiis verentur; tali enim casu Canonis perinde, ut alii clerici, Fori autem privilegio gaudent in causis saltem Criminalibus; ut in his, sive criminaliter sive civiliter agatur, trahi nequeant ad judicium Seculare, *c. Unico. cit. pr. & V. Et cum.*

Eosdem clericos conjugatos etiam in causis Civilibus à Seculari jurisdictione exemptos, defendit Francus *in c. & V. Et cum cit. n. 5.* defumitque ex ipso ejus tenore, quòd, cum adjudices Seculares non trahendi dicuntur, subjicitur, *Eos ab his condemnari etiam non debere pecuniariter*: quæ verba, ne otiosa sint, de causis Civilibus asserit exaudienda. Verùm, quia prioribus de tractione à parte litigante: posterioribus autem de quacunque condemnatione, etiam ad nullius instantiam facta sermo esse videtur, ista otiosa nequaquam sunt, licet de causis Civilibus non accipiantur. Unde in his eos coram giudice Seculari conveniri posse, cum Panormit. *in c. Joannes cit. n. 3.* docent Sylvester *V. Clericus 1. q. 6.* Covarruvias *Pract. cap. 31. n. 6. cit.* Sanchez *disp. 46. n. 22. Farinac. Prax. Criminal. q. 8. n. 7. & Barbofa in c. Unico. cit. n. 8.*

Hoc Fori privilegium cum Joan. **13.** Monach. *in c. Unico. cit. n. 1.* Panormit. *in c. Nullus 2. de Foro compet. n. 7. Felin. in c. cit. n. 3.* Tiraquell. *post Leg. Commub. gloss. 2. n. 5.* ad dictorum clericorum uxores, & Decianus *Tract. Criminal. lib. 4. cap. 9. n. 49.* ad filios quoque extendunt, eà ducti ratione, quòd forum mariti fortiri debeat uxor, *l. Cum quadam 19. ff. de Jurisdic. & filius patris: &* quia maritus & uxor una caro, pater & filius una eademque persona reputantur, à Jure

à Jure concessa marito, etiã uxori concessa censentur, Glossa in *can. Admonere V. Partem 33. q. 2.* & indulta patri ad filium porrigantur. Confirmatur; quia, sicut uxor de mariti, sic filius est de patris familia: & qui de hac sunt, participant de privilegiis suorum dominorum, *c. fin. de Offic. Archidiacon.* Ita isti

Sed verisimilius, sicut Canonis, *Si quis suadente 17. q. 4.* ex sententia omnium, teste Felino *cit. n. 3.* sic Fori quoque privilegium à marito ad uxorem, cum Alex. de Nevo in *c. Nullus cit. n. 21.* Franco in *c. Unic. cit. V. fin. & aliis cit. Sanchez disp. 47. n. 3.* & à patre ad filios extendi, negat Del bene de Immunit. *Ecclies. cap. 4. dub. 23. n. 1. & 14.* Ratio est; quia, sicut Canonis, sic & Fori privilegium concessum est in favorem solius Ordinis clericalis: qui proinde cum in solis personis Ordine aliquo initiatis, non etiam in eorum liberis & uxoribus reperitur, sicut Canonis, sic & Fori privilegium, illis Jure competens, ad istos non porrigetur.

In contrarium adducta locum non habent, quando ratio, ob quam privilegium conceditur, aliis non potest convenire, aut privilegium specialiter conceditur à Jure. Cum ergo Ordo convenire nequeat uxori, neque reperitur in filio, eò non initiato: & privilegium Fori in Criminalibus *c. Unico cit.* atq; à S. Synodo Trident. *cap. 6. cit.* concessum & stabilitum sic solis conjugatis Ordinatis: & his etiam non competat, nisi observentur conditiones, quæ neque in uxore, neque in liberis reperuntur, ad hos & illam non est extendendum.

14. Dubium quintò est, an clerici minores, uxore quàm unicam & virginem duxerunt mortuã, privilegia immunitatis à vestigialibus, competentia, & similia, uti etiam Fori in causis Civilibus amif-

sa recuperent. Quia in re Panormit. in *c. Clericus 6. de Vita & honest. num. 4.* Franci in *c. Unic. cit. V. Et cum num. 6.* Clari §. *fin. q. 36. num. 15.* Covarruvia *Practio. cap. 31. n. 8.* Petr. Barbosa in *l. Titia 35. ff. Solutio matr. n. 33. cit.* Sanchez *disp. 46. n. 29.* & aliorum, ea recuperari asserentium, verior Resolutio & istius ratio est; quia ejusmodi clericis, uxores ducentibus, privilegia illa non auferuntur perpetuò, sed solummodo suspenduntur: quamdiu non servantur conditiones in clericis, ut privilegiis illis actu gaudeant, Jure requisitas, ut collitur ex *Clement. 1. de Vita & honest. verbis Quamdiu premissis insisterint.* Quare dictis immunitatis, competentia & similibus privilegiis, contractu matrimoniali amissis, denuò defenduntur, si bigami non sint, tonsuramque & vestes deferant clericales: & fori quoque privilegio in causis Civilibus gaudebunt, si de mandato Episcopi alicui Ecclesie inserviant, vel de ejus licentia versentur in studio aliquo quasi in via ad Ordines majores, *c. Nullus 2. c. Si quis 4. Co. de Foro compet. junctò Trident. Sess. 23. cap. 6. de Reformat.*

## ARTICULUS II.

### De Clericis Majoribus, eadem ineuntibus.

#### SUMMARIUM.

15. *Hiæ conjugia omnino interdicta sunt:*
16. *Non eodem tamen rigore Græcis & Latinis.*
17. *Eorum obligatio ad Continentiam non ex Jure Divino:*

E

18. Sed

18. *Sed ex voto, annexo sacri Ordinis susceptioni,*  
 19. *Et ex praecepto Ecclesiae,*  
 20. *Ex iustis & gravibus causis latè, provenit.*  
 21. *Contra quod conjugia ineuntes irregularitatem Bigamia*  
 22. *Et excommunicationem majorem incurrunt,*  
 23. *Secundùm aliquos etiam beneficia amittunt.*  
 24. *Verius his non privantur ipsò Jure :*  
 25. *Nec respicientes per sententiam sunt privandi.*

mittente ac vovente uxore, si hanc unam eamque virginem duxit, *c. Sanè 2. hic & c. Conjugatus 5. de Convers. conjug.* Unde

Dubium oritur primò de Jure, quò Continentia sacris Ordinibus est annexa, **17.** Non desuere, qui cum Majore *in 4. dist. 24. q. 2.* illam his annexam assereret Divinò; quòd ab ipso nascentis Ecclesiae primordio Continentiae lex in Divinorum ministris, praesertim Sacerdotibus, fuerit observata, manifestò indicio, latam à Christo, per S. Gentium Doctorem momente, *Ne militans Deo se negotiis secularibus implicaret, 2. Timoth. 1. cap. 4. 4.* Hodie tamen inter plerosque alicujus nominis ac notae DD. convenit Primò, Ordinibus sacris neque Naturali neque Divino Jure continentiam annexam; quòd aliàs matrimonii antea legitime initi usus Graecis sive Orientalibus permitti non potuisset; cum Jura illa ab humana potestate relaxari nequeant, *Sed naturalia 11. Instit. de J. N. G. & C. & can. Sunt quidam 25. q. 1.* Secundò, Latinos sive Occidentales, in illis Ordinibus constitutos, ad continentiam obligari saltem ex Voto, *c. Olim cit. c. Unico de Voto in 6. & Extravag. Antiqua Joan. XXII. eadem Rubricà: quod antiquitus expressè, can. Quamquam 6. dist. 23. can. Quando 3. & can. Praeterea 7. dist. 28.* postea verò tacitè, sive ipsò factò, ut sacrum Ordinem suscipientis silentium pro consensu reputetur eorum, quibus sacri seu majores Ordines conferuntur, *can. 1. dist. 27. & can. Diaconi 8. V. Quicumque dist. 28. Bellarmin. Lib. 1. de Matrim. cap. 21. Azor p. 1. Instit. lib. 13. cap. 12. q. 6. Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 27. n. 10. & Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 15. n. 2.*

Controversia autem est, an ea se **19.** continentiam obligatio immediatè ex solo voto o-

**15.** Clericis majoribus, sive in sacro aliquo saltem Subdiaconatus Ordine constitutis, Ecclesianon solum inhonesta mulierum commercia, sed ipsum etiam matrimonium interdixit, *can. 1. & c. dist. 28. can. Si quis 7. can. Placuit 13. & c. dist. 32.* ut id nec licitè, nec validè inire possint, ut apertè desumitur ex *c. 1. hae Rubricà c. 1. c. Ex literarum 2. Qui clerici & Vovent.* & à S. Synodo Trident. definitum est *sess. 24. can. 9.*

**16.** Non eòdem tamen rigore clerici majores à conjugis arcantur in Ecclesia Graeca & Latina, *can. Aliter 12. dist. 31.* in illa enim clerici in minoribus Ordinibus constituti matrimonium non solum inire, sed eò jam initò sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica obtinere valent: & licet constituti in sacris matrimonium inire amplius nequeant, eò tamen ante Clericatum vel Subdiaconatus Ordinem contractò uti permittuntur, *can. cit. c. Cum olim 6. hic & c. Quaesitum 7. de Penit. & remiss.* in ista verò ad sacros Ordines & beneficia Ecclesiastica conjugatorum nemo admittitur, nisi promissà continentia, & consentiente, continentiamque pro-



voto oriatur. Qua in re Affirmativam multis DD. allegatis Sanchez *cit. n. 10.* Negativam & veriorum cum non paucis ab eodem *n. 9. cit.* propugnant Gutierrez *Lib. 2. Q. Q. Canon. cap. 27. n. 45.* Valentia *Lib. de Celibatu cap. 2.* eos in super speciali lege Ecclesiastica ad castitatem obligari desumentes ex *can. 27. Apostol. can. Presbyteris 7. dist. 27. c. A multis 9. V. Verum de Etat. & qualitat. c. 1. in fine. Qui clerici & Vovent. & Trident. can. 9. cit.* qui textus omnes Legis Ecclesiasticae expressè meminerunt. Ratio est; quia castè vivere etiam teneretur, qui sacros Ordines susciperet cum invincibili ignorantia voti illis annexi, aut malitiosè voluntatis intentione votum excluderet. Quorum obligatio cum ex voto non oriatur, proveniet ex lege Ecclesiastica, ad Continentiam obligante eum, qui sciens ac volens sacro Ordine initiatur. Sciens, inquam; quia infans & alii, illis initiati ante usum rationis, ad continentiam observantiam non adstringuntur; cum ejus votum, liberum voventis consensum exigens, expressè vel tacitè non emiserint: Ecclesia verò ad imitationem Juris Divini eam obligationem nemini invito imponat. Unde infans aut alius ita ordinatus matrimonium validè & licitè contraheret: nisi, cum ad usum rationis pervenit, ratam haberet sui Ordinationem expressè vel tacitè, non contradicendò, sed sacrum Ordinem liberè exercendò, aut aliàs statum Ecclesiasticum sequendò; hoc enim faciendò censeretur in obligationem servandi continentiam, sacri Ordinis susceptioni annexam, consensisse, Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 29. n. 15.* & Barbosa *alleg. cit. n. 4.*

20. Ratio autem, cur votum Continentiae sacri Ordinis susceptioni annexum & clericis Majoribus ab Ecclesia Latina cog-

libatus præceptus sit, non una, sed variae à DD. afferuntur. Eorum præcipuæ sunt Primò Exemplum Christi & Apostolorum cæterorumque ejus discipulorum, non solum post vocationem suam uxores non ducentium, sed antè ductas deferentium: quod secuti omnes Episcopi ac presbyteri ab ipsis ordinati à conjugis caperunt abstinere, Gonzalez *in c. 1. n. 3.* Secundò; ut Divina mysteria purius ac sanctius tractarent; si enim in Veteri Sacerdotes ministrantes Deo in sacrificiis & panes Propositionis manducantes sanctificari, hoc est, ab uxoribus abstinere oportuit, Exodi *cap. 19. V. 15. & 1. Reg. cap. 21. V. 4.* quantò magis in Nova Lege ab illis & omni immunditia se continere decet eos, qui in sacrificio inculpato immaculatam Deo hostiam offerentes sanctissimo Christi corpore ac sanguine quotidie reficiuntur. Tertio; ut liberè & integrè servirent Deo; cum, quantò à sollicitudinibus, quas uxores ac liberi creant, cæterisque seculi negotiis minus implicantur, tantò liberius serviant Deo, & ad Divina seriò tractanda sint expeditores, secundum monitum Apostoli *1. Corinth. cap. 7. cujus V. 32. Volo, inquit, vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori & divinis est.* Quarto; ut Fidelibus laicis majori essent venerationi, eosque non verbò tantum, sed inculpatæ quoque & sanctæ conversationis exemplo abstraherent à vitis, & ad Virtutis & Christianæ perfectionis studium excitarent. Quintò demum; ut reditus ipsis ab Ecclesia assignati juxta Fidelium offerentium intentionem non ad dotandos & ditandos liberos accumulare: sed ad exercendam

E 2 in pau-

in pauperes liberalitatem, & hospitalitatem in peregrinos aliosque pius usus impendere studeant.

21. Porro clerici, qui post sacrum Ordinem susceptum, istius susceptioni annexo Continentiæ votò & ad eam obligantis Ecclesiæ præceptò insuper habitis, uxores ducere temere contractus nullitatem non potiuntur, sed insuper gravibus poenis obnoxii sunt. Et imprimis quidem ipsi in susceptis Ordinibus ministrare & ad altiores ascendere prohibentur, *c. 1. & c. Ex literarum 2. Qui clerici & vovent*, & si matrimonium de facto contractum consumment, contrahunt irregularitatem Bigamiæ, quam DD. Similitudinariam vocant, ut *arg. can. Quorquor 27. q. 1. dictum est Lib. 1. Tit. 21. n. 10.* Cum ipsis tamen poenitentibus ad exercendos, quos habent, & altiores Ordines suscipiendos dispensare Episcopi permittuntur, *c. 1. cit.* nisi poenitentia non vera, & præsumptio sit de incontinentia in futurum: vel cum corrupta aut vidua vel duabus matrimonium consummandò facti essent bigami Interpretativè; hoc enim casu cum ipsis dispensari ab Episcopo non posse, dictum est *cit. Tit. 21. n. 16.*
22. Deinde ipsò factò incurrunt excommunicationem, latam *Clement. Unic. de Consanguinit.* à qua tamen, quia Jure reservata non est, ipsos absolvi ab Episcopo posse, in *Clement. cit.* notant Glossa *V. Obtinere* & Barbosa *n. 24.*
23. Demum, eosdem beneficiis Ecclesiasticis ipsò Jure privati, cum Panormit. *in c. 1. n. 7.* Anchorano *in c. cit. n. 2.* & Interpp. aliis docent Sylvester *V. Clericus 2. n. 2.* Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 6. §. 3. n. 4.* & Azor *p. 1. Instit. lib. 13. cap. 13. q. 6.* eà persuasi ratione; quòd contrahendò matrimonium beneficiis renun-

tiare censeantur, non obstante illius nullitate; quòd talis, si post Ordines Sacros, mortuà uxore susceptos, contrahat & consummet matrimonium secundum, Interpretativè *c. Nuper 4. de Bigamiæ* & si verò primum ineat, Similitudinariè bigamus reputetur ob attentionem matrimonii pravò opere carnalis copulæ subsecutò: licet propter illius nullitatem Verè bigamus non sit. Cur non parimodo clerici in Ordinibus sacris sive majoribus perinde, ut in minoribus constituti, beneficia ipsò Jure amittant ob matrimonium, licet hoc invalidè sit contractum. Cui argumento non parùm roboris accedit *ex c. Eum qui 18. de Præbend. & dignit. in 6.* ubi per secundj beneficii incompatibilis violentam occupationem, licet hæc invalida sit, prius obtentum beneficium non minùs, quàm per affectuionem secundi validam, amitti statuitur ex ratione; quòd *Non deceat, ut stultus melioris quàm peritus conditionis existat; vel invasor eò, qui justè ingreditur, privilegiò gaudeat potiori.* Ne ergo clerici minores matrimonia legitimè contrahentes deterioris conditionis sint, quàm majores, illa contra Jus & defacto tantum atque invalidè contrahentes, sicut illi, sic etiam isti beneficia ipsò Jure amittent.

24. At melius, ab istis beneficiorum privationem ita incurrri, *in c. 1. cit.* negant Gloss. *fm.* Anton. de Butrio *n. 19.* Anchoran. *n. 14.* Francus *in c. Unic. cit. pr. n. 4.* Navarrus *Manual. cap. 25. n. 120.* Garcias *p. 11. de Benef. cap. 8. n. 17. cit.* Sanchez *disp. 43. n. 4.* Barbosa *in c. 1. cit. n. 7.* & alii permoti *c. 1. textu,* quò relatus Alexander III. discrimen statuit inter clericos in minoribus, & in majoribus constitutos; & matrimonio initò, illos quidem ad beneficia, tanquam ipsò Ju-

ipsò Jure jam amissa, relinquenda: istos verò ad uxorum dimissionem & poenitentiam per suspensionis &, si necessariū sit, etiam per excommunicationis sententias compelli jubet: non officiis & beneficiis Ecclesiasticis spoliari aut privari. Ratio id ita statuendi fuit; quòd, cum statum cum beneficiorum retentione incompossibile verè non assumpserint, beneficiis renuntiassè absolutà & efficaci voluntate non intelligantur, hòc ipsò; quòd fortita non sit effectum; voluntas enim & conatus inefficax, cum de contrahendis poenis & impedimentis agitur, pro facto non habentur, nisi id Jure sit expressum, Sperellus *decis.* 137. à n. 29. prout de Bigamia *c. Nuper est.* de amissione autem beneficii, à clerico in Sacris matrimonium de facto ineunte contrahenda, nupiam est expressum.

Neque in contrarium facit decisio *c. Eum qui cit.* partim; quia poenalis ejus dispositio à casu ad casum extensionem non admittit, *arg. Reg. Odia 15. in 6.* partim verò; quia privatio beneficii in clericis minoribus non habet rationem poenæ, sicut in majoribus: quos, cum matrimonium de facto tantum contrahendò Ordine & statu clericali nullò modo excidant, Ecclesia non beneficiorum ademptione ipsò facto contrahenda; ne necessariis alimentis privarentur: sed suspensionis, excommunicationis & aliis poenis ad poenitentiam voluit reduci, *c. 1. V. Sed si cit.* Unde

25. Dubium oritur, an tales clerici beneficiis privandi saltè sint per sententiam. Quod, licet passim asseratur aut supponatur, Juris tamen omnino explorati non est. Ineam quidè rem allegatur *can. Decernimus 2. dist. 28.* quòd relatù Innocentii III. decretum est, *Ut ii, qui in Ordine subdiaconatus & supra uxores duxerint officio atque Ecclesiastico beneficio careant.*

*Cum enim ipsi templum, vasa Domini & sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire, à decreto tamen hoc & Papæ mente non recessurus videtur, qui hac in re discrimen statueret inter eos, qui conjugio, post sacram Ordinationem initò, moniti uxores de facto ductas dimitunt: & eos, qui ita ductas Ecclesiæ monitione insuper habitata retinent, iisque adherent; hos enim duntaxat, non etiam priores, ab officiis & beneficiis Ecclesiasticis per sententiam removendos, cum Glossa in *can. cit.* verisimilius sustinet Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 28. n. 7. in fine* & Gonzalez in *c. Diversis 5. n. 2. pr.* quòd hanc tantum cubilibus & immunditiis deservire intelligantur: non etiam ii, qui Ecclesiæ monitioni obtemperant & uxores dimitunt. Cui sententiæ, non parum roboris inde accedit; quòd ex una, hos quoque ab officiis & beneficiis Ecclesiasticis removendos, iisque privandos, nullò aliò canone sit expressum; cum *c. 1. V. Sed si cit.* ad uxores solummodo dimitendas & poenitentiam agendam compelli jubeantur: & *c. Sanè 4.* à solo officio ad tempus remoti supponantur: ex altera verò parte, si privarentur beneficiis cum statù Clericalis opprobrio mendicare, vel fordidum aliquem quæstum exercere cogerentur, contra *can. Diaconi 22. V. Mendicat dist. 93.* & Concilium Trident. *Sess. 21. cap. 2. de Reformat.**

